



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Ira feminarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

clariūs in tenebris scelus suum videret, & meminisset cæcitatem se nīmio fulgori, quod aurum reddebat, debere. Hæc de Polymnestore. De Hecuba in canem mutata paulò plura commentabimur in earum gratiam, quibus canina est in ore facundia.

II. (b) Quid ira sit feminea cum aliis perspeximus, tum ex Hecuba & concaptivis Troiadibus patet. Proverbiō fertur. *Ex ungue leonem.* Scilicet æstima. Polymnestor quamvis rex ex mulierum unguibus didicit, qualis sit bellua sexus hic, furore concitatus. Siracidis dictum est c. 25. *Non est ira super iram mulieris.* Commorari leoni & draconis placebit, quam habitare cum muliere nequam. Etiam ferocissimæ bestie cicurantur; mulier iracunda cum semel debacchari cœpit, nullos rationis frænos admittit, exasperatur mulcendo. De hac bellua Salomon Prover. 21. *Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa & iracunda.* Et iterum ibidem: *melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa in domo communi.* Id est, satius est solitarium degere in tecto, & sub dio, ventis, pluviis, cæterisque aëris injuriis exponi, quam in domo communi & domesticis frequente, habitare cum muliere contentiosa. Hujus enim litigia omnibus cœli injuriis respondent: dum clamat, tonat: cum probra & maledicta jacit, fulminat: cum contendit & litigat, nimbos & tempestates ciet: urit, cum querula est: & cum rigidam se, & minimè amantem exhibit, glaciem effundit. Expertus hæc tempestates est Socrates, quem cum uxor Xantippe post multos clamores, aquâ per fenestram sparsâ perfudisset: Facile, inquietabat, hoc futurum putabam, ut post tonitruum, pluviam sentirem. Menandri vatis monitio est: Præstat canem irritare, quam anum, qualis fuit Hecuba. Sed juvenculae plus etiam, quam vetulæ dentatæ sunt: viris non tantum oblatrant, sed eos etiam invadunt & mordent, ut Polymnestorem Phrygiæ, quas, Poëta teste,

----- facit ira valentes.

De Hecuba Ovidius:

----- at hæc missum rauco cum murmure saxum
Morsibus insequitur: rictuque ad verba parato
Latravit, conata loqui.

Quotidiana hæc seminarum metamorphosis: de quibus Plautus in Menachmo

M. Non tu scis, mulier, Hecubam quapropter canem
Græci esse prædicabant, V. non equidem scio,

M. Quia

(b) *Ira seminarum.*

M. Quia idem faciebat Hecuba , quod tu nunc facis :

Omnia mala ingerebat , quemcunque aspicerat.

Itaque adeò jure cæpta est appellari C A N I S .

III. (c) Me herclè miserum illum , cui cum his canibus *in pueris* , juxta adagium , hoc est , in matrimonio *pugnandum* est . Neque diu , neque noctu datur missio . Vnicum remedium , robusta patientia . Qua virtute Socrates excelluit , de quo Aulus Gellius lib. 1. c. 37. Xantippe Socratis Philosophi uxor morosa admodum fuisse fertur & jurgiosa : irarūmque & molestiarum muliebrium per diem , pérque noctem satagebat . Has ejus intempéries in maritum , Alcibiades demiratus , interrogavit Socratem , quænam ratio esset , cur mulierem tam acerbam domo non exigeret . Quoniam , inquit , Socrates , cùm illam domi talem perpetior , insuesco & exerceor , ut ceterorum quoque foris petulantiam & injuriā facilius feram . Secundūm hanc sententiam Varro quoque in satyra Menippæa , quam de officio mariti scripsit . Vitium , inquit , uxor aut tollendum , aut ferendum est : qui tollit vitium , uxorem commodiorem præstat ; qui fert , sese meliorem facit . Quām rārum , ait S. Hieron. lib. 1. contra Jovinianum , mulierem sine his vitiis inveniri , novit ille , qui duxit uxorem . Unde pulchre Varius Geminius , sublimis Orator . Qui non litigat , inquit , cœlebs est : *Melius est enim habitare in angulo tecti , quam cum uxore maledica in domo communī .* Si domus communis mariti & uxorū , erigit uxorem in superbiam ; & contumeliam viro facit ; quanto magis , si ditiōr uxor fuerit , & in domo ejus vir manserit ; incipit enim non uxor esse , sed domina , & viro , si offenderit , migrandum est . Porrò , homini cœlibi elegans epitaphium à Lipsio positum est : *Caruit uxore , prole , lite . Festivē apud Ausonium querelam suam claudit quidam , rixoso matrimonio involutus :*

Jámque repugnanti dedam me , ut denique victa
Jurget ob hoc solum , jurgia quod fugiam .

Et quoties frons est obfirmando viri , & maledicentia sputa excipienda . Lepidum est , quod scribit Rudolphus Camerarius Centur. 2. memorab. c. 32. Tubingæ medicus , & ejus artis Professor , conjugem imprimis charam habuit . Hæc eo tempore , quo iterum ferebat , liberum ovorum numerum in foro emerat . Domum ea referens , & mariti musæum ingressa , ingemuit altum . Maritus tam serii gemitus causam sciscitari , & verò etiam solari promptus : Quid est , aiebat , quod

cruciet ?

(c) *Uxor litigiosa , quantum malum .*

H h h